



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Elegia 23. Diræ & minæ in adulteros.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)



Luminaque in saevo scelus indignancia nimbo  
 Ardent attonitis fulmina bina toris.  
 Increpat & multo manans vox sanguine caedem;  
 Caedem, quam nullis explet Aetna rogis.  
 Ast ego quid dicam? tu suggere, quisquis es, hospes,  
 Flebo, quod hic flebis; quodque querere, querar.  
 Natalem id nasci est Eoo cadere lucem;  
 Si mors sanguineis Phosphoron umbrat aquis?  
 Cernis adhuc oculos media vel morte minaces?  
 Fulmina torua vibrant, & sine nube tonant.

## Elegia 23.

## Diræ &amp; minæ in adulteros.

**S**pectatum satis est, funesto vela theatro  
 Volue dolor, vindex deinde reuolue furor.  
 Lude Choro, lupa, triste scelus, crispisque cachinnos  
 Ingemina; ferro Vox vbi iussa mori est.  
 Omnis in extremam nondum sol occidit horam.  
 Alter adhuc alio voluitur orbe dies.  
 Tempus erit, vindex quo sceptrum recudet in enses,  
 Ut patiare nocens, quæ patienda iubes.  
 Murabitque in busta faces, ac vinciet olim  
 Ante corona comis, facta catena pedes.  
 Facta times? facienda caue: grauis incubat ultor.  
 Quæ modo blanditur spes, timor asper erit!  
 Iam superest tragicum quæ claudat scena furorem,  
 Scena theatri crimine docta necem.  
 Quis pudor hic noxæ, quæ deinde pudoris imago est?  
 Denique quis vindex hæc piat ausa dolor?  
 Sis memor illa, tibi iam cor defigit, & aures,  
 Quæ tulit augustum per fida lica caput.  
 Crudus adhuc, toruusque scelus, scelus increpat hostis,  
 Posthuma cui seras ruminat ira minas.  
 Ille, vides? trunco qui manat corpore sanguis,  
 In tua quod manet vulnera, sulfur erit!  
 Tam bene quæ saltas, aliena pericula demens,  
 Ipsa tuo letho triste piabis opus.



Illidet nocuæ mors sceptræ cruenta coronæ,  
 Carnificesque metet falce rapace pedes.  
 Per caput hoc iuro, caput inutolabile letho.  
 Qui cruor it venis, fons necis ater erit.  
 Clamat enim, clamat vocali vulnere sanguis,  
 Plecte reos, iusto fulmiue plecte nefas.  
 Quis tibi tum sensus? quas te mors abdet in umbras?  
 Flectere qui possit numen, an vllus erit?  
 Credo, nec ipsa salus te seruet ad hæc securæ  
 Quas tibi procedit cœlitate noxa manu,  
 Scilicet immani petulans de cæde cachinnus,  
 Irritat nocuo vindicis arma ioco.  
 At silet os index, quid tum? treme iudicis iram,  
 Num quia præco silet, surdus & vltor erit?  
 Impie quem damnas, ornas hunc prædo coronâ,  
 Ferrea nunc, auro cœlitate mica.  
 Arbitra libra necis gladius, tunc curia carcer,  
 Rex reus, ipse torus triste tribunal erit,  
 Quin etiam dirus sceleris quæsitior, & idem  
 Testis, item discus testis, & hospes erit.  
 Quamque secas ferro, cui vox it ferrea veri,  
 Mille sibi linguas vnica lingua parit.  
 Multa tui sceleris tot linguis viuet imago,  
 Ceu speculi frustis crebra figura micat.  
 Hoc & in argento cui plurima gutta cruoris  
 Triste rubet, speculum lugubre cædis habes,  
 Quor legis hoc disco stillas: tot & inde querelas  
 Ad legis, & mæstæ pallidâ spectra necis.  
 Quæque tuum stillans hoc sanguine gutta, furorem  
 Arguit; e speculo lingua fit illa suo.

S. sig.

Elegia